Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 14ta

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

# Quaestio 14ta

## Quid, quotuplex, & circa quid sit usus.

Ex exacta electione & imperio, si quo datur, sequitur USUS, cuius vocabuli acceptio est multiplex. Nam 1mo sumitur improprie pro quacunque re alicuius, aut potius operatione; sic homo dicitur uti intellectu ad cognoscendum, avis pennis ad volandum. 2do proprie quidem, sed laxius pro frequentia quorundam certorum actuum moralium, sive liberorum quorum longo tempore exercitorum, sive illa opera versentur circa finem, sive circa media, sive interni, sive externi actus sint. hoc sensu confunditur usus cum More, seu consuetudine bona vel mala. 3tio proprie, et presse, et hoc loco sumitur usus pro applicatione alicuius rei ad assequendum aliquid aliud praeintentum. Unde juxta S. August. & alios Uti est rem aliquam, ut utile assumere & adhibere ad assequendum finem: quod si finis in quem res assumitur sit debitus, appellatur usus rei illius bonus; si vetitus, malus, abusus nimirum juxta eundem August. l. 1. de doctrina Christiana c. 4.

Conclusio 1ma usus, 3tio modo sumptus, recte dividitur in Activum & Passivum. Ita omnes Theologi & philosophi cum S. Th. [illegible] contra [illegible] disp. 27. est autem usus activus nil aliud, quam facultatem aliquam ad operandum

applicare, et sive uti aliis potentiis, qui usus imo simpliciter maxime proprie voluntati vel ipsius actui illius elicitus, et qui medius est inter executionem externam, et electionem mediorum, a qua realiter differat. Usus passivus est ipsa mediorum executio, quae solo nomine differt ab operatione rei, quae applicatur a voluntate, cui etiam usus convenit secundario.

Probatur ratione. Assumere actualiter medium ad executionem finis proprie est uti medio: atqui voluntas eliciendo actum, seu motionem sive internam, qua applicat v.g. oculum ad videndum aurem ad audiendum, pedem ad ambulandum etc. actualiter assumit, sive adhibet oculum, aurem etc. ad operandum ergo aliquis actus elicitus voluntatis ac proinde effectus ille, qui applicatio dicitur, est proprie usus; ergo praeter usum passivum potentiarum exequentium, datur etiam usus activus ab ipsa voluntate elicitus, qui est activa applicatio usus passivi, sive operationis externae.

Hunc usum activum non esse realiter ipsas eundem actum cum electione mediorum, Probatur: recte enim dicimur eligere media, ut ipsa applicemus, non autem bene dicimur applicare, ut illa eligamus; vere item dicimur applicare media jam electa, falso autem dicimur eligere media jam adhibita, sive applicata; ergo eligere et applicare media non sunt idem, adeoque differt electio ab usu, saltem ratione, ut recte notat Valentia; imo addo cap. 16. §. 3. quod electio semper non praecedit usum, tum non videtur necessario, realiter ab eadem semper distingui, siquidem ex efficaci electione medij ab intellectu ad executionem proximae determinati, suapte natura sequitur applicatio, et quod executio potentiae per realem consensionem potentiarum, in actu collocatarum.

Dices. Ut potentia executiva brutorum ad opus moveatur, non eget distincto actu ab eo, quo ipsorum appetitus in objectum fertur; ergo nec potentia executiva in homine, ut ad opus applicetur, eget distincto actu ab eo, quo ipsius voluntas medium eligit ad opus exequendum.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: Ideo bruta praeter affectum, quo ipsorum appetitus in objectum fertur, nullum alium actum requirunt, quo ipsorum executrices potentiae applicentur ad opus, quia cum sint agentia necessaria et imperfecta, sufficienter moventur ad opus applicata vi prioris actus; homines vero cum sint agentia libera, possunt, et non raro pluribus actibus ad medium et ad finem tendere.

Conclusio 2da: usus non versatur circa finem, sed circa media tantum

Probatur: Ratio est; usus eo ipso, quod est applicatio potentiarum ad operandum, immediate versatur circa operationes nostras, quae haud dubie sunt media ad aliquid obtinendum.

Dixi autem: immediate versari usum circa nostras operationes: non enim mediate, et ex consequente versatur etiam circa res ipsas, quatenus illae per actiones nostras operando ordinantur, vel nostrarum actionum, sub in finem tendimus media sunt.

Deinde, non dicimus fine uti, sed frui, medijs autem, non frui, sed uti; et quatenus Deus sit finis ultimus implicat ipsum in usum venire, teste S. Augustino qui libro 1. de doct. christiana c. 4. ait. Uti est id, quod in usum venit, referre ad id, quod amas obtinendum. Quaestio 15. quid, et cuius obiecti et subiecti sit fruitio.

# Quaestio 15ta

## Quid, et cuius obiecti, et subiecti sit fruitio.

Quando post tot enumeratos voluntatis aliarumque potentiarum actus is, qui propter finem operatur, eundem obtinet ac possidet, sequitur tandem ultimus actus propter finem, qui dicitur fruitio; quod nomen desumitur a fructu, qui est quid ultimum, quod ab arbore expectatur et cum suavitate percipitur, et actus, quo tale quid percipitur dicitur fruitio, prout notat S. Thomas h. a. 1. et 4.

Conclusio 1ma. fruitio est actus potentiae appetitivae non intellectivae. S. Th. h. a. 1 post sanctum Augustinum l. 1. de doct. christ. c. 4. ubi inquit: frui est alicui rei amore inhaerere propter se ipsam. Declaratur: tres potissimum actus reperiuntur in eo, qui aliquo fruitur, videlicet possessio, boni amor, et delectatio de eodem, in quorum uno constitui debet ratio fruitionis; atqui possessio boni non est eiusdem fruitio, nos enim aliquando possidere bonum aliquod et interim non frui, neque non aegrotus frui medicinis, quas cum amaritudine possidet, et utitur; ergo fruitio vel in amore vel in delectatione ponenda est, quorum utrumque sunt actus voluntatis, sive potentiae appetitivae. Confirmatur. delectari et frui Deo hic possumus, et nisi facile est actus meritorius; ergo frui est actus voluntatis. patet antecedens: ex fide christiana.